

140 *Exemplum litterarum illustrissimi Vice Regis ad reverendissimum dominum Curcensem, de data Vincentiae, die septima Octobris 1513.*

Reverendissime domine et illustrissime princeps tamquam frater observandissime.

Pro exequendis rebus a dominatione vestra reverendissima iam mihi commissis, XXIII die præteriti mensis a loco Albereti discessi, per iter Montagnana et Este pervenimus in locum Bovolentæ, ubi magna proeda et animalium bonorumque et captivorum facta fuit, multaque aedificia bellissima quidem incendio data. Die vero altero, pertransivimus ad locum Pieve de Sacho, cuius cives audito nostro accessu et de mandato domini Bartolomei de l'Alviano abierant, sed aliqua bona inventa fuerunt, et similiter incendio data est. Deinde ad Mestrem accessimus, et aliqua pars gentium ad Lissam Fusinam se transtulit, et quoniam in utraque gentes erant et voluerunt se tenere et defendere, vi et armis captæ, et trucidatis custodibus incendio date fuerunt, et ex litore maris circa duo miliaria a civitate Venetiarum plures tormentorum ictus versus civitatem proiecti, prout reverendissima dominatio vestra instituit et ordinavit; et si duo tormenta artelariae Maiestatis Cesareæ habueram, intus civitatem ipsam et ad plateam usque Sancti Marci applicuisserent. Et quoniam veneti adeo iacturam et injuriam ægre tulerunt, quam iracundia et rabie quadam, ordinarunt dicto domino Bartolomeo del Vian, ut nobis quantum poterit cum stipendiariis et villicis obstaret et impediret. Antequam a Mestre discederem, dictus Bartolomeus del Vian iam exierat a Patavia cum omni exercitu, et scripserat Joanni Paulo Baliono ut exiret cum omnibus quam copiis quas haberet, et cum numero villicorum opponeret se nobis in passu apud Brentam vel apud Bacaglionum. Et redeuntes nos per Campum Sancti Petri et viam Citadellæ, prope quam erat transitus dicti fluminis, Citadella, mandato dicti Bartolomei del Viano, ubi etiam erant nonnulli pedites, defecit a Cesareæ Majestatis obedientia; et ut pertransiremus flumen illa die, dereliquimus eam; sed cum prope flumen applicuissemus, inimicos iam in transitu oppositos invenimus. Et quoniam erat fere nox, transitus erat angustus et inimici fecerunt fossata et apposuerunt multa tormenta, visum est illo vespere non transire, sed castrametari. Et mane sequenti et eadem nocte, habito consilio inter capitaneos germanos et nostros, cœpimus transitum al-

tiorem per duo vel tria miliaria, quia magis largus erat. Et a media nocte præire fecimus curros carvagia cum aliqua parte exercitus, et reliqui prosequentes in aurora pervenimus ad locum et pertransivimus locum, ubi iam intervenimus hostes et multis capelletos, qui cum nostris præliarunt; et illo interim applicuit Bartolomeus del Viano cum eius copiis instructis, faciendo monstram præsentare nobis bataliam. Et cum gentes nostræ animose pertransirent aquam usque ad pectus et libenter acceptasent bataliam, ipse se posuit in loco forti et tuto atque fossato aqua circumducto, a quo nunquam voluit exire. Et sic caminavimus circa decem miliaria. Altera vero die, iter prosequendo, hostes prope Vincentiam per duo miliaria in quibusdam locis et passibus angustis se nobis opposuerunt cum auxilio et favore amontanæ et villicorum, propter quod non potuimus multum caminare, adeo quod, nocte præterita, die illa et die sequenti Bartolomeus del Viano, in loco qui dicitur Ulmus, ubi sunt passus angusti et sunt montes, fecit rumpere omnes vias et passus, posuit multa tormenta et totum exercitum in oppositum nostrum. Ubi cum pervenimus magno cum labore, nam fuit necesse tota illa die facere splanatas amplas et ducere exercitum cum copiis bene instructis ad bellum campale, invenimus omnes iam in ordine positos ad bataliam milites vero felicissimi exercitus bono animo. Et cum contra illos appropinquarent, illi retrocedebant animo reducendi eos prope artelariam suam positam prope montem et prope fossata et passus ruptos: quæ omnia prævisa, nostri steterunt; et ibi præliando equites laevis armaturæ tantum, iam venit nox, et fuit necesse ibidem castrametari sine victualiis hominum et equorum, nam omnia defecerant. Et considerantes omnes quod erat impossibile illac pertransire, habito consilio inter omnes pro conservatione exercitus et prædæ, ne hostes possent de ea gloriari, fuit decretum retrocedere et redire ad Bassanum, et ibi stare per aliquos dies, capere Citadellam et alia damna venetis inferre; et quoniam aliud fieri non posset, redire per viam Tridenti ad defensionem et conservationem Veronæ, quam de facile hostes aggredierentur et obsiderent et forsitan caperent; et conservare potius exercitum quam periculo omnia exponere. Et ita redeundo, hostes continue nos infestabant prosequendo cum septem millibus pedestribus, mille et centum equitibus gravis armaturæ, mille et quingentis capelletis, decem et novem tormentis, ultra quindecim millibus villanis, qui circuibant nos undique per costeram montaneæ. Et